



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 58. Fœdus inter Imperatorem, Archiducem Austriæ, & Franciæ Regem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

ratio non solum eversa, sed etiam Ludovicus tam impotenti ira commotus est, ut e vestigio Hispaniæ Oratores aula exulare, ac sine moræ dispendio regno excedere juberet. Ergo quantocius omne commercii genus Hispanis fuit interdictum, nec plus Legatorum precibus datum, nisi quod ante suum discessum Reginam, ac Fridericum salutare possent, unde die vigesima sexta Augusti in patriam suam reversi sunt. Ergo Pisanorum defectio primus erat obtentus, quo Rex Legatorum dimissionem æquam reddere nitebatur, cujus tamen genuina, eaque secreta causa erat, quod pacem cum Imperatore stabillendi propositum concepisset.

Secul. XVI.
A.C. 1504.

§. LVIII.

Fœdus inter Imperatorem, Archiducem Austriae, & Franciæ Regem.

Hispaniæ Oratoribus vix Bleso egressis, Maximiliani, atque Archiducis Legati advenerunt: Protinus igitur consultationibus datum est initium, quibus Finarii Marchio nomine Pontificis, & Petrus Fillolus Sisteronensis Episcopus ejusdem internuncius interfuere. Ibi sublatis omnibus obstaculis, quæ Mediolanensis Ducatus investituram Ludovico

Marian. ib. n. 56
Recueil des traittez de paix tom. 2. Raynald. hoc ann. n. 1. Et 22. Spond. ib. n. 2. Guicc. l. 6.

L 1 5

XII.

Sæcul XVI XII.

A.C. 1504

*Bonaccurs.
in Diario.*

concedendam, necnon nuptias Clau-
diæ Principissæ cum Carolo Lucem-
burgico morabantur, die vigesima secun-
da Septembris Blesi armorum societas
inter Cæsarem, Archiducem, & Gallia-
rum Regem inita, atque firmata est, cu-
jus præcipui erant articuli. I. Impera-
tor nullatenus Mediolani Ducatum inva-
dat, aut Italiæ Principes Gallis addictos
molestet. II. His, eorumque vassallis,
atque amicis plena præteritorum oblivio
concedatur. III. Triduo post firmatum
hoc foedus spondeat Cæsar, se Galliarum
Regi, ejusque liberis maribus, aut iis
deficientibus filiæ ipsius natu majori,
simulque Luxemburgico Duci Mediola-
nensis imperii diploma concessarum, si
vero Claudia fors prius fatis fungeretur,
tunc Ducatus ad Filiam Regis natu
minorem, quam Dux Claudiæ loco du-
ceret, transferatur, idemque servetur, si
forte Carolus moreretur; tunc enim Fer-
dinandus ejusdem filius secundo genitus
sibi Claudiam sociaret, Rex vero pro
diplomate Cæsari ducenta librarum Gal-
licarum millia numeret, quæ tamen, si
Princeps ac Principissa nulla suscepta pro-
le e vivis excederent, restituantur. IV.
Nullum concordie colloquium circa rem
inter eos controversam Rex Franciæ
cum Hispanis ineat, nec absque Cæsaris
consensu ullum foedus firmet. Si ve-
ro

Sæcul. XVI.
A C. 1504.

ro Rex Catholicus æquas, atque honestas condiciones acceptare renueret, Imperator ad recuperandum Neapolis Regnum Galliarum Regi necessaria suppeditet auxilia. V. Spondeat Ludovicus Rex, se Ludovici Sfortiæ Filiis, si in regno morari cupiant, ditiones quasdam, atque pensiones in Francia daturum. VI. Cunctis rebellibus, ac e Mediolanensi Ducatu proscriptis omnium injuriarum venia ac gratia concedatur, eisque Rex reconciliatus cuncta illorum bona restituat. VII. Regi Catholico, si velit, infra quatuor menses foederi accedere integrum sit, cunctis tamen in Neapolis regnum juribus, in Carolum Lucemburgicum Nepotem suum transferendis cedat, sub conditionibus toties propositis, totiesque rejectis. VIII. Singuli tres Confederati Principes trimestri nondum evoluto ceteros Principes, quos foedere comprehendere cupiunt, nominare teneantur, cujus Sponsores sint Principes, & S. R. I. Electores. Præter hosce articulos plures adhuc alii sanciebantur admodum prolixi, minoris tamen momenti, unde illos haud recensendos judicavimus.

§. LIX.

Friderici Neapolitani Regis obitus.

Hoc foedere a Galliarum Regno Mediolani.

Marian. 116.
28. n. 59.